

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis  
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus  
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.  
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

**Cocceji, Samuel von**

**Lipsiæ, 1766**

LIB. XVI. TIT. I. Ad Sctum Vellejanum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9044**

EXC. (1) Si deceptus de peculio agat. *d. l. 4. §. f.* (2) Si prote-  
 status fuerit. *L. 1. §. 4. Quod leg.*

OBJ. §. 4. *Quod cum eo &c.* Ubi actio de peculio & de in rem  
 verso una actio dicitur.

Male hic RESPONDENT Doctores, id inde esse, quia invicem  
 cumulari possunt. Dic potius unam actionem principalem esse, cui  
 utraque qualitas accedit, & ex unaquaque diversa est condemnatio.  
*d. §. 4.*

NOT. Reliquæ duæ actiones, scilicet de peculio, & de in rem ver-  
 so, inter se cumulative concurrunt; Atque hinc si creditor actionem  
 instituit ratione 100. ex quibus 50. in rem patris versa sunt, actione  
 de in re verso tantum 50. cætera actione de peculio repetere potest;  
 Hæ enim actiones rem sequuntur indeque cumulative concurrunt. §. 4.  
*de in rem verso*; actio quod jussu autem sequitur personam. *Conf. tit.  
 de Oblig. & aff. ibique q. fin.*

## LIB. XVI. TIT. I.

## AD SCTUM VELLEJANUM.

QV. I. *An beneficium Scti Vellejani sit personale?*

Ita putat *Laut. pag. 265.* at, rectius reale dici probavi *tit. de Const. Laut. pag. 265. verb. personale &c.*  
*princ. q. 3.*

QV. II. *Quotnam feminae pro alio intercedenti concessa  
 sint beneficia?*

RESP. SEX. (1) Beneficium Scti Vellejani: Quo succurritur feminae,  
 quæ per imprudentiam pro alio apud alium in instrumento publi-  
 co intercedit: *Laut. h.* nam creditor ex tali intercessione agens repellitur  
 exceptione Scti Vellej. *L. 8. L. 20. C. h.* (2) Si intercedat in instru-  
 mento privato, intercessio est ipso jure nulla, nec opus est illa exceptione.  
*Laut. p. 266.* Quod est beneficium. *L. 23. C. h.* (3) Beneficium *Authenticæ  
 five a me C. h.* Quo uxori etiam pro marito intercedenti succurritur, at tan-  
 tum in bonis immobilibus antea nuptialibus, (nam in dote jam ante id erat  
 constitutum ex Lege Julia. Vid. *tit. d. fundo dotali. Nov. 61. c. 1. in f.*) ita  
 ut si ea pro marito se obliget, negotium sit ipso jure nullum: *d. Auth.*  
 Ddd dd 2 quia



quia mariti deceptionibus seducta videtur. Nisi biennio post obligationem confirmet, & præterea alia res viro sint, ex quibus uxori consuli possit. *Nov. 61. c. 1.*

At cum hoc ipso uxori liberum fuit res mobiles antenuptiales, & dotales, quin & receptitias obligare pro marito, hoc quoque (4) prohibitum fuit, & in genere omnis obligatio propriæ substantiæ, sive sit res mobilis, sive immobilis, interdicta uxori fuit; quod est beneficium *auth. si qua mulier C. h.* & ex eadem præsumptione datum est, quod metu & blanditiis mariti seducta videatur uxor.

Sed & porro sæpius contingit, creditores scientes mulierem intercedendo pro marito non obligari, neglecto marito cum ipsa uxore principaliter contrahere, adeo ut ipsa se, suamque personam omniaque bona, obliget, hoc casu (5) itidem uxori succurritur, & talis obligatio ipso jure nulla declaratur atque in fraudem illius beneficii contracta videtur: Nisi in utilitatem uxoris pecunia versa probetur. *Laut. pag. 266. pr.* Vid. *infra q. 5.* Denique (6) ex eadem authentica constitutum apparet, nec iteratam renunciationem uxoris intercessionem confirmare, *d. Auth.* quo ipso *authentica sive a me* correctæ & immutata est.

Atque hinc jam apparet, quomodo differat beneficium *authenticae sive a me* ab eo quod in *authentica si qua mulier* conceditur; scilicet illud locum habet in obligatione rerum immobilium antenuptialium & dotalium: hoc vero dispositionem *Novellæ 61.* corrigit, extendit, & auget, indeque locum habet in omnibus bonis, etiam mobilibus, & receptitiis. Aliam differentiam statuit *Brummensis*, & putat prius beneficium cessare, si renunciatio elapso biennio reiterata fuerit, non vero posterius; *Brunn. ad auth. si qua mul. n. 4.* de quo tamen merito dubito, & neutrum iterata renunciatione tolli puto; quia beneficium *authenticae si qua mulier* est saltem explicatio, & extensio beneficii in *authentica sive a me* constituti; nam hoc tantum obligationes rerum immobilium antenuptialium nullas reddebat, quod in *Nov. 134. c. 8.* & inde desumpta *authentica si qua mulier etc.* corrigitur, & ad omnia uxoris bona extenditur. Cum ergo *Novella 134.* sit correctoria, & circa intercessionem mulierum pro marito noviter disponat, ut nec reiterata renunciatio obligationem confirmet, hoc de utroque casu, adeoque & in obligatione rerum antenuptialium, verum erit.

Qv.



QV. III. *An fœminæ illustres utantur beneficio hujus S<sup>C</sup>Ti?*

**N**EGATUR: *Laut. h. pr. ibique Dd. Struv. §. f. h. ibique Dd.* Nam *Laut. pag. 265. verb.* in his fœminis cessat imprudentia, utpote cum suis consiliarios & justitarios habeant: Atque ita responsum refert *Struv. d. l. Conf. Quidam tamen excipiunt.* *Corp. p. 2. c. 25. def. 9.*

**D**ISSENTIT *Laut. Ex. 28. Concl. 10.* Neque negari potest, exempla occurrere, ubi fœminæ illustres, quæ tutrices legitimæ erant, huic S<sup>C</sup>T<sup>o</sup> renunciarunt, & quidem jurato; uti de quadam Baronissa & Ducissa refert *Eiben. de tut. fœm. Membr. 2. th. 3. Et 17. Müller. ad Struv. d. l. lit.* In dubia ergo praxi tutius, & ad majorem eorum, qui cum tali fœmina tutrice contrahunt, securitatem, renunciatio adhiberi potest.

**OBJ.** *arg. L. 1. h.*

**RESP.** Imo talis fœmina & officii publici, scilicet jurisdictionis, capax est, indeque tota ratio cessat.

QV. IV. *An exceptio S<sup>C</sup>Ti Vellejani etiam contra fœminas detur?*

**A**FFIRM. (1) *arg. l. 1. pr. h. quæ generaliter loquitur,* (2) *per Laut. pag. 265. verb. l. 5. C. ibi: sciente creditrice Et. h. t.*

**OBJ.** Quod sit æque privilegiata.

**RESP.** Falsum: Nam fœmina non est privilegiata nisi in intercessionibus. *Masculos vel fœminas Et.*

QV. V. *Si mulier dissimulans intercessionem principaliter se obligavit, an nihilominus ipsi exceptio S<sup>C</sup>Ti detur, si creditor id sciat?*

**A**FFIRM. Quia creditor sciens mulierem dissimulare a se ipso deceptus videtur, & sic mulier decepisse non intelligitur. *L. 11. C. verb. modo sciant Et.* *de distractione pignorum.* nec illa potest dici ignorantiam creditoris circumscriptisse, ut dicitur in *d. l. 11.* nec ipse creditor deceptus, quia scivit. *L. 18. C. h.* Scienti enim non fit injuria. Accedit textus expressus in *l. 12. junct. l. 11. h.* ubi a regula, quod fœminæ decipienti non succurratur, excipitur casus si creditor scivit: Sed & creditori saltem succurritur replicatione doli, *l. 6. h. l. 18. C. h.* quam non habet.

Ddd dd 3

bet,



bet, si ipse scivit, si enim uterque æque in culpa est, succurritur reo magis quam actori. Conf. *L. 29. ibi: Si creditor, cum contrahere vellet cum heredibus Lucii Titii, evitatis his magis mulierem ream elegit & in ipsius persona Scto, quod de intercessionibus factum est, locum esse.*

Secus ergo est, si uxor bona fide, ab initio, in usus suos contrahat, nec creditor sciat, quid illa actura sit, & in quem finem mutuo acciperit. *L. 4. pr. l. 11. l. 27. ff. h.*

OBJ. (1) *L. 5. C. h. ibi: Quod si patientiam præstitisti, ut quasi suas res maritus obligaret, decipere voluisti mutuum pecuniam dantem & ideo tibi non succurratur Scto.*

RESP. Ibi duo sunt casus. (1) Si uxor intercessit sciente creditore. (2) Si dissimulavit intercessionem: in priori casu scivit creditor, indeque locum habet exceptio Scti Vellej. At posteriori casu non additur scivisse creditorem, potius igitur supponendum ibi est, creditorem ignorasse, & marito mentienti credidisse, tunc enim deceptus est, totaque exceptio SC. Vellejani cessat.

OBJ. (2) *Quod non succurratur mulieri decipienti, sed deceptæ. L. 2. §. 2. h.*

RESP. Non decipit scientem. *L. 18. C. h.*

INSTO, Non tamen est decepta.

RESP. Imo est decepta per intercessionem, quæ ex imprudentia fit: sed & licet non sit decepta, ipso jure tamen effectum habet exceptio; creditor enim, quando læmina opponit exceptionem Scti, non poterit de dolo replicare, quia ipse quoque dolo fecit.

OBJ. (3) *L. 13. C. h. ibi: decreto patrum non adjuvâri, licet creditor causam contractus non ignoraverit.*

RESP. Ibi mulier accepit, ut in mariti rem verteret, eique donaret, actuque donavit, hanc ergo causam contractus, etsi creditor sciverit, tamen cessat Sctum, quia sciebat quoque, Sctum non pertinere ad eum casum, quando mulier alii donare volebat. *L. 4. ff. l. 4. in f. C. h. l. 12. & 21. §. 1. ff. h.* Aliud ergo est, cum mulier accipit mutuum, ut alii iterum mutuo daret, & sic regressum habeat; tunc enim locum habet Sctum. *L. 4. pr. l. 11. l. 27. h.* Aliud, cum ita, ut in rem mariti vertat, eique donet, nec ut repetat: Male ergo quidam in *d. l. 13. pro juxta fidem veri, legunt, viri,*

Qv. VI. *An uxor teneatur, si cum marito in uno instrumento tanquam correa debendi se principaliter obligaverit?*

**R**ESP. Talis obligatio valet quidem quoad maritum, non vero quoad uxorem. *Auth. Si qua mulier C. h. Nov. 134. c. 8. Gail. L. 2. 266. verb. O. 89. n. 1.* Nam sc̄emina hæc non ultro, sed ex metu reverentiali contraxisse videtur, idque leges præsumunt, donec probetur contrarium. Atque ita judicatum refert *Gail. d. l. n. 1. & varia præjudicia allegat Laut. h. p. 266. in pr.*

**EX C.** (1) Nisi manifeste probetur, pecuniam in propriam uxoris utilitatem versam esse, *Laut. d. l.* quod præsumitur, si ipsa accepit pecuniam. *Goth. ad dist. Auth. lit. K. Gail. d. O. n. 2.* (2) Nisi mercatoris uxor sit. *Goth. ad d. auth. lit. K. & L. & ad dist. Nov. c. 8. Gail. 2. O. 90.* (3) Nisi statuto aliud sit receptum. *Goth. ad d. c. 8.* (4) Nisi uxor post biennium confirmaverit. *Goth. ibid.* quod tamen per *Nov. 134. c. 8.* sublatum est. (5) Nisi ad communem familiæ sustentationem acceperit. *Berl. p. 2. c. 9. n. 82.* Vel (6) uxor hæres mariti existat. *Mev. p. 7. dec. 229. Dn. Stryk. in not. ad h. t.* Idem est (7) si uxor animo donandi interveniat. *L. 13. C. h.* Aut (8) intercessionem juramento confirmet, de quo plene agit *Laut. p. 268. & seq.* (9) Alias exceptiones vid. *infr. q. 10.*

Qv. VII. *An S<sup>C</sup>Ti Vellejani exceptio tantum actionem, an verò ipsam obligationem tollat?*

**P**osterius **AFFIRMATUR:** Atque hinc solum tanquam indebitum condici potest. *L. 40. pr. de Cond. ind.* Nam propter imprudentiam sc̄eminarum jus Civile totam hanc obligationem reprobat, eamque perpetua exceptione tollit. Vide supra tit. de Cond. ind. q. 6. in fine.

Atque ex S<sup>C</sup>T<sup>o</sup> Maced. etiam datur exceptio perpetua contra creditorem, & tamen ipsa obligatio non tollitur, sed manet debitum indebitum solum non condicitur. *d. q. 6.*

**R**ESP. In filiof. singulare est, quod exceptio illa in odium & poenam actoris sc̄eneratoris statuta sit, adeoque solum actionem, non vero debitum, ejusque effectus, tollit. *d. l. 40. l. 9. §. p. SC. Maced.* in primis cum poenæ sint stricti juris. *dist. q. 6. Conf. L. 14. tit. 6. q. 7.*

Qv. VIII.



Qv. VIII. *Cur SCtum Vellejanum tantum ope exceptionis tollat obligationem?*

*Laut. ibid. verb. SCta a-  
tionem  
&c.* **R**ESP. Putant Doctores id ideo factum, quia SCtum legem tollere non potuit; Sed male. Nam SCtum uti legem condendi, sic & eam abrogandi, facultatem habuit. Vid. §. 5. *Inst. J. N. G. & C.* At vera ratio est, quia senatus non facile solet jus semel constitutum tollere, propter nimios abusus, & confusiones inde sequentes; de quibus alibi.

Qv. IX. *An SCti Vellejani exceptio detur fidejussoribus, qui regressum contra uxorem non habent?*

*Laut. pag. 267. in fin. verb. Li-  
cet regres-  
sum &c.* **A**FFIRM. Quia ipsa obligatio per exceptionem SCti Vellejani tollitur, deficiente autem obligatione principali cessat quoque accessoria, *L. 8. §. 4. L. 16. §. f. h. L. 4. l. 15. C. h. L. 7. §. 1. de Exc.* Atque hinc apparet, aliud esse in SCto Macedoniano, ubi actio tantum in poenam creditoris tollitur, indeque debitum naturale manet, *L. 10. ff. SC. Maced.* cui proinde fidejussor accedere potest.

Qv. X. *An, cum mas & mulier simul intercedunt pro alio, mas in solidum obligetur?*

*Laut. pag. 268. verb. Non et-  
iam Con-  
fidejussori  
&c.* **A**FFIRM. Tum quia subducitur persona mulieris, quam mas sciebat obligari non posse; tum quia correi sunt, quorum altero subducto, alter restat solus: *Auth. si qua mulier C. h. N. 134. c. 8. Laut. pag. 268. pr.*

Exc. (1) Si in partes saltem se obligarunt, ut in *L. 8. C. h.* tunc enim in id, in quod se obligarunt, tenentur. (2) Quando mas & femina antea duo rei fuere, id est simul aliquid ex causa licita & valide debuerunt, & loco hujus creditoris apud alium, cui forte debet, intercedunt, tunc enim non novum debitum a muliere contrahitur, sed persona creditoris saltem mutatur: adeoque tantum tenetur pro parte. *L. 17. §. f. L. 18. h. Laut. pag. 268.* alias exceptiones vide *supra q. 6.*

Qv.



Qv. XI. *An valide obligetur foemina, quae post biennium se iterato pro marito obligat?*

**N**EGATUR. Nam tunc imprudentia quidem cessat, nec hactenus *Laut. ibid.* ei succurritur, at ratio a metu reverentiali desumpta durat, nam *verb. Non* eodem metu renunciat, quo intercedit. *Auth. Si qua mulier. C. h. t. etiam pro* *Nov. 134. c. 8.* *marito* *Esc.*

OBJ. *Nov. 61. c. 1.*

RESP. Hujus Novellæ beneficium postea a Justiniano correctum & auctum est, in *Nov. 134. c. 8.* quo diserte statutum invenitur, ut nec iterata renunciatio obligationem confirmet. vide *supra q. 1.*

Qv. XII. *An cesset S<sup>C</sup>tum Vellejanum, si mulier, de vi S<sup>C</sup>ti edoc<sup>t</sup>a, eidem renunciaverit?*

**A**FFIRM. Est enim favor privatus, cui renunciare potest; edoceri *Laut. pag.* autem debet, quia ignorantia juris excusat, nam potest, & *præ. 268. in fin.* sumitur, jura ignorare: *Laut. p. 268. in f. Ungepaur. D. 15. quæst. 8. verb. (5)* *Fact. L. 2. c. 60.* *Si de jure* *Esc.*

EXC. Si jurato renunciet, tunc enim etsi edoc<sup>t</sup>a non fuerit, cessat S<sup>C</sup>tum; quia omne juramentum, quod sine vitio est, observari debet. *Laut. p. 269. pr. Gail. L. 2. O. 77. n. 9. Müller ad Struv. h. t. §. 11. lit. e.*

DISS. *Berlich. p. 2. c. 19. n. 36.*

INSTO, Ignorantiam excludere consensum.

RESP. Non erravit in eo, quod cum effectu obligari voluerit.

Atque hæc omnia ita praxi obtinere, late probant præjudicia apud *Laut. ad. 11.* etsi dissentiat *Dn. Stryk. de C. C. S. 2. c. 6. §. 4.* & alii apud *Müll. d. 1.*

Qv. XIII. *An ea, quae jurato renunciat S<sup>C</sup>to Vellejano, etiam beneficio Authenticæ sive a me, & Authenticæ si qua mulier renunciassent videatur?*

**N**EGATUR. Quia diversa sunt remedia. Illud enim (1) opponitur per modum exceptionis, his vero negotium ipso jure nullum dicitur, uno remedio ergo per renunciationem rejecto, reliqua non videntur

Cocc. J. C. P. I. E e e e





dentur rejecta, inprimis cum renunciaciones sint stricti juris. (2) Oriuntur ex diversis causis, prius ex imprudentia, reliqua ex metu reverentiali. (3) Differunt objecto, illud enim tantum de intercessionibus, Authentica *sive a me* & Authentica *si qua mulier* de omnibus contractibus loquitur: Optime ita rem decidit *Sand. L. 3. t. 11. def. 4. Mev. p. 6. dec. 22. n. 4.* aliique apud *Müller. ad Struv. h. §. 11. lit. d.*

DISSENTIT *Struv. h. §. 11. ibique Dd.* qui vero loqui videntur de jurata renunciacione omnium beneficiorum mulieribus lege concessis, *Müller. d. l.* non vero de speciali renunciacione beneficii ex SCTo Vellejano competentis. *Berlich. p. 2. c. 19. n. 35.*

Qv. XIV. *An in privato instrumento renunciare liceat SCTo?*

AFFIRM. Nam uti partes de suo jure disponunt, ita jus est. OBJ. *L. 23. C. h.* Ubi intercessio mulieris in privato instrumento facta dicitur ipso jure nulla.

RESP. Intercessio quidem in instrumento privato facta non valet, at si illa in instrumento publico rite facta fuit, in privato exceptioni SCTi valide renunciari poterit.

NOT. Fœmina quæ renunciat SCTo Vellejano, etiam consequenter beneficio hujus legis 23. renunciat, utpote quod ejus pars est.

Qv. XV. *An cesset SCTum Vellejanum, si mulier communem negotiationem exercet?*

AFFIRM. Quia proficitur peritiam: Non autem intelligitur communem negotiationem exercere, si merces vendat e taberna, & curam gerat rerum; hoc enim jure domesticæ societatis, quæ semper est inter conjuges, agit. *L. 1. pr. Rer. anot.* In dubio igitur uxor rem domesticam curare, vel operam marito præstare, non verò communem negotiationem exercere intelligitur: Sed & porro mariti negotium videtur, etsi maritus merces ex bonis dotalibus vel aliis comparaverit, quia inspicitur quis comparaverit, non qua pecunia. *L. 7. C. Si cert. pet.* Atque ita in Curia Halberstadiensi judicatum in causa *Jfermanns contra Erschell, und dessen Ehefrau*: Tantum ergo communem negotiationem exercere videtur tunc, cum in specie conventio inita, vel alias animus



mus communem negotiationem exercendi probetur. Ita quoque JCtos  
 Francofurtenses respondisse memini.

## LIB. XVI. TIT. II.

DE

## COMPENSATIONIBUS.

Qv. I. *An compensatio locum habeat, si, cum tempore juramenti  
 jam adfuerit debitum mutuum, juravit debitor se  
 soluturum?*

**A**FFIRM. Solvit enim revera qui compensat. *L. 76. V. S.* Quin ex *Laut. pag.*  
 ratione juris gentium creditori, cui compensatio opponi potest, *270. verb.*  
 nihil debetur, quia id quod vicissim debet, æs alienum est, & jure gen- *Secus est si*  
 tium extra bona ejus esse creditur: Si proinde creditor 4000 in bonis *tempore*  
 habet, & ex iis 3000. debet Titio, qui tantum 2000. actu in bonis ha- *et c.*  
 bet, bona hujus revera & jure gentium sunt 5000. illius vero saltem  
 1000. Nam cum creditor ille 3000. plus suo habeat, tenetur suo de-  
 bitori, cui vicissim debet, illa restituere, quæ restitutio per compen-  
 sationem facta videtur: Idque inter mercatores admodum usitatum est, &  
 hoc appellant saldo: Sed JCti qui in personam potius agunt, actiones  
 ipso jure subsistere statuunt, & compensationis demum exceptione tolli  
 volunt.

**Exc.** Nisi excludendæ compensationis causa juratum appareat, forte  
 si creditor ideo exegit jusjurandum, quod metuerat compensationem.

**Obj.** Quod non opus fuisset jurato promittere solutionem, si illa  
 compensatione ipso jure jam facta fuisset; non enim potest promitti  
 solutio quæ jam facta est.

**Resp.** Forte de mutuo debito non cogitavit jurans, vel id ignora-  
 tum vel saltem incertum fuit. Si enim de eo certo constat, juramentum  
 excludendæ compensationis causa accessisse videtur.

**Dissentiunt** *Dn. comm. vid. Fsch. Controv. 1. c. 7. Cacher. dec.*  
*29. per tot. & Laut. pr. h. nec negari potest pleraque præjudicia in con-*  
*trarium esse. Laut. ibid.*

